

## THE BACCHANALIAN CONSPIRACY (186 B.C.) (39.8-14 & 17-19)

The Bacchanals, a Greek mystery cult, infiltrated Italy in the early part of the 2<sup>nd</sup> century B.C. and eventually came to the action of the Roman state. The Senate moved vigorously to suppress the cult.

1 [8] Insequens annus Sp. Postumium Albinum et Q. Marcium Philippum  
2 consules ab exercitu bellorumque et prouinciarum cura ad intestinae  
3 coniurationis vindictam auertit. Praetores prouincias sortiti sunt, T. Maenius  
4 urbanam, M. Licinius Lucullus inter ciues et peregrinos, C. Aurelius Scaurus  
5 Sardiniam, P. Cornelius Sulla Siciliam, L. Quinctius Crispinus Hispaniam  
6 citeriorem, C. Calpurnius Piso Hispaniam ulteriorem.  
  
7 Consulibus ambobus quaestio de clandestinis coniurationibus decreta est.  
8 Graecus ignobilis in Etruriam primum venit nulla cum arte earum, quas  
9 multas ad animorum corporumque cultum nobis eruditissima omnium gens  
10 inuexit, sacrificulus et uates; nec is qui aperta religione, propalam et  
11 quaestum et disciplinam profitendo, animos errore imbueret, sed occultorum  
12 et nocturnorum antistes sacrorum. Initia erant, quae primo paucis tradita  
13 sunt, deinde uulgari copta sunt per viros mulieresque. Additae uoluptates  
14 religioni vini et epularum, quo plurium animi illicerentur. Cum vinum  
15 animos <incendissent>, et nox et mixti feminis mares, aetatis tenerae  
16 maioribus, discrimen omne pudoris extinxissent, corruptelae primum omnis  
17 generis fieri coepitae, cum ad id quisque, quo natura pronioris libidinis esset,  
18 paratam uoluptatem haberet. Nec unum genus noxae, stupra promiscua  
19 ingenuorum feminarumque erant, sed falsi testes, falsa signa testamentaque  
20 et indicia ex eadem officina exibant: venena indidem intestinaeque caedes,  
21 ita ut ne corpora quidem interdum ad sepulturam exstarent. Multa dolo,  
22 pleraque per uim audebantur. Occulebat vim quod pree ululatibus

23 tympanorumque et cymbalorum strepitu nulla vox quiritantium inter stupra  
24 et caedes exaudiri poterat.

25 [9] Huius mali labes ex Etruria Romam veluti contagione morbi penetravit.  
26 Primo urbis magnitudo capacior patientiorque talium malorum ea celavit:  
27 tandem indicium hoc maxime modo ad Postumium consulem peruenit. P.  
28 Aebutius, cuius pater publico equo stipendia fecerat, pupillus relictus,  
29 mortuis deinde tutoribus sub tutela Duroniae matris et vitrici T. Sempronii  
30 Rutili educatus fuerat. Et mater dedita viro erat, et vitricus, quia tutelam ita  
31 gesserat, ut rationem reddere non posset, aut tolli pupillum aut obnoxium  
32 sibi vinculo aliquo fieri cupiebat. Via una corruptelae Bacchanalia erant.

33 Mater adulescentem appellat: se pro aegro eo voulisse, ubi primum  
34 convaluisset, Bacchis eum se initiataram; damnatam voti benignitate deum  
35 exsoluere id velle. Decem dierum castimonia opus esse: decimo die  
36 cenatum, deinde pure lautum in sacrarium deducturam.

37 Scortum nobile libertina Hispala Faecenia, non digna quaestu, cui ancillula  
38 adsuerat, etiam postquam manumissa erat, eodem se genere tuebatur. Huic  
39 consuetudo iuxta vicinitatem cum Aebutio fuit, minime adulescentis aut rei  
40 aut famae damnosa: ulti enim amatus appetitusque erat, et maligne omnia  
41 praebentibus suis meretriculae munificentia sustinebatur. Quin eo  
42 processerat consuetudine capta, ut post patroni mortem, quia in nullius manu  
43 erat, tute ab tribunis et praetore petito, cum testamentum faceret, unum  
44 Aebutium institueret heredem.

45 [10] Haec amoris pignora cum essent, nec quicquam secretum alter ab altero  
46 haberent, per iocum adulescens vetat eam mirari, si per aliquot noctes

47 secubuisset: religionis se causa, ut voto pro valetudine sua facto liberetur,  
48 Bacchis initiari velle. Id ubi mulier audivit, perturbata “dii meliora!” inquit:  
49 mori et sibi et illi satius esse quam id faceret; et in caput eorum detestari  
50 minas periculaque, qui id suasissent. Admiratus cum verba tum  
51 perturbationem tantam adulescens parcere exsecrationibus iubet: matrem id  
52 sibi adsentiente vitrico imperasse. “Vitricus ergo” inquit “tuus—matrem  
53 enim insimulare forsitan fas non sit—pudicitiam famam spem vitamque  
54 tuam perditum ire hoc facto properat.” Eo magis mirabundo quaerentique,  
55 quid rei esset, pacem veniamque precata deorum dearumque, si coacta  
56 caritate eius silenda enuntiasset, ancillam se ait dominae comitem id  
57 sacrarium intrasse, liberam numquam eo accessisse. Scire corruptelarum  
58 omnis generis eam officinam esse; et iam biennio constare neminem  
59 initiatum ibi maiorem annis viginti. Ut quisque introductus sit, velut  
60 victimam tradi sacerdotibus. Eos deducere in locum, qui circumsonet  
61 ululatibus cantuque symphoniae et cymbalorum et tympanorum pulsu, ne  
62 vox quiritantis, cum per uim stuprum inferatur, exaudiri possit. Orare inde  
63 atque obsecrare, ut eam rem quocumque modo discuteret nec se eo  
64 praecipitaret, ubi omnia infanda patienda primum, deinde facienda essent.  
65 Neque ante dimisit eum, quam fidem dedit adulescens ab his sacris se  
66 temperaturum.

67 [11] Postquam domum venit, et mater mentionem intulit, quid eo die, quid  
68 deinceps ceteris, quae ad sacra pertinerent, faciendum esset, negat eorum se  
69 quicquam facturum, nec initiari sibi in animo esse. Aderat sermoni vitricus.  
70 Confestim mulier exclamat Hispalae concubitu carere eum decem noctes  
71 non posse; illius excetrae delenimentis et venenis imbutum nec parentis nec  
72 vitrici nec deorum verecundiam habere. Iurgantes hinc mater, hinc vitricus

73 cum quattuor eum servis domo exegerunt.

74 Adulescens inde ad Aebutiam se amitam contulit, causamque ei, cur esset a  
75 matre ejectus, narravit, deinde ex auctoritate eius postero die ad consulem  
76 Postumium arbitris remotis rem detulit. Consul post diem tertium redire ad  
77 se iussum dimisit; ipse Sulpiciam gravem feminam, socrum suam,  
78 percunctatus est, ecquam anum Aebutiam ex Auentino nosset. Cum ea nosse  
79 probam et antiqui moris feminam respondisset, opus esse sibi ea conuenta  
80 dixit: mitteret nuntium ad eam, ut veniret. Aebutia accita ad Sulpiciam venit,  
81 et consul paulo post, velut forte intervenisset, sermonem de Aebutio fratribus  
82 eius filio infert. Lacrimae mulieri obortae, et miserari casum adulescentis  
83 coepit, qui spoliatus fortunis, a quibus minime oporteret, apud se tunc esset,  
84 ejectus a matre, quod probus adulescens—dii propitii essent—obscenis, ut  
85 fama esset, sacris initiari nolle.

86 [12] Satis exploratum de Aebutio ratus consul non uanum auctorem esse,  
87 Aebutia dimissa socrum rogat, ut Hispalam indidem ex Auentino libertinam,  
88 non ignotam viciniae, arcesseret ad sese: eam quoque esse quae percunctari  
89 vellet. Ad cuius nuntium perturbata Hispala, quod ad tam nobilem et gravem  
90 feminam ignara causae arcesseretur, postquam lictores in vestibulo  
91 turbamque consularem et consulem ipsum conspexit, prope exanimata est. In  
92 interiorem partem aedium abductam socrum adhibita consul, si vera dicere  
93 inducere in animum posset, negat perturbari debere; fidem vel a Sulpicia, tali  
94 femina, vel ab se acciperet; expromeret sibi, quae in luco Stimulae  
95 Bacchanalibus in sacro nocturno solerent fieri. Hoc ubi audivit, tantus pavor  
96 tremorque omnium membrorum mulierem cepit, ut diu hiscere non posset.  
97 Tandem confirmata puellam admodum se ancillam initiatam cum domina

98 ait: aliquot annis, ex quo manumissa sit, nihil quid ibi fiat scire. Iam id  
99 ipsum consul laudare, quod initiatam se non infitiaretur: sed et cetera eadem  
100 fide expromeret. Neganti ultra quicquam scire, non eandem dicere, si  
101 coarguatur ab alio, ac per se fatenti veniam aut gratiam fore; eum sibi omnia  
102 exposuisse, qui ab illa audisset.

103 [13] Mulier haud dubie, id quod erat, Aebutium indicem arcani rata esse, ad  
104 pedes Sulpiciae procidit, et eam primo orare coepit, ne mulieris libertinae  
105 cum amatore sermonem in rem non seriam modo sed capitalem etiam verti  
106 vellet: se terrendi eius causa, non quod sciret quicquam, ea locutam esse. Hic  
107 Postumius accensus ira tum quoque ait eam cum Aebutio se amatore  
108 cauillari credere, non in domo grauissimae feminae et cum consule loqui. Et  
109 Sulpicia attollere pauentem, simul illam adhortari, simul iram generi lenire.  
110 Tandem confirmata, multum incusata perfidia Aebutii, qui optime de ipso  
111 meritae talem gratiam rettulisset, magnum sibi metum deorum, quorum  
112 occulta initia enuntiaret, maiorem multo dixit hominum esse, qui se indicem  
113 manibus suis discepturi essent. Itaque hoc se Sulpiciam, hoc consulem  
114 orare, ut se extra Italiam aliquo ablegarent, ubi reliquum vitae degere tuto  
115 posset. Bono animo esse iubere eam consul, et sibi curae fore dicere, ut  
116 Romae tuto habitaret.

117 Tum Hispala originem sacrorum expromit. Primo sacrarium id feminarum  
118 fuisse, nec quemquam eo virum admitti solitum. Tres in anno statos dies  
119 habuisse, quibus interdiu Bacchis initiarentur; sacerdotes in vicem matronas  
120 creari solitas. Pacullam Anniam Campanam sacerdotem omnia, tamquam  
121 deum monitu, immutasse: nam et viros eam primam filios suos initiasse,  
122 Minium et Herennium Cerrinos; et nocturnum sacrum ex diurno, et pro

123 tribus in anno diebus quinos singulis mensibus dies initiorum fecisse. Ex quo  
124 in promiscuo sacra sint et permixti viri feminis, et noctis licentia accesserit,  
125 nihil ibi facinoris, nihil flagiti praetermisso. Plura virorum inter sese quam  
126 feminarum esse stupra. Si qui minus patientes dedecoris sint et pigiores ad  
127 facinus, pro victimis immolari. Nihil nefas ducere, hanc summam inter eos  
128 religionem esse. Viros, velut mente capta, cum iactatione fanatica corporis  
129 vaticinari; matronas Baccharum habitu crinibus sparsis cum ardentibus  
130 facibus decurrere ad Tiberim, demissasque in aquam faces, quia vivum  
131 sulphur cum calce insit, integra flamma efferre. Raptos a diis homines dici,  
132 quos machinae illigatos ex conspectu in abditos specus abripiant: eos esse,  
133 qui aut coniurare aut sociari facinoribus aut stuprum pati noluerint.  
134 Multitudinem ingentem, alterum iam prope populum esse; in his nobiles  
135 quosdam viros feminasque. Biennio proximo institutum esse, ne quis maior  
136 viginti annis initiaretur: captari aetates et erroris et stupri patientes.

137 [14] Peracto indicio advoluta rursus genibus preces easdem, ut se ablegaret,  
138 repetivit. Consul rogat socrum, ut aliquam partem aedium uacuam faceret,  
139 quo Hispala immigraret. Cenaculum super aedes datum est, scalis ferentibus  
140 in publicum obseratis, aditu in aedes verso. Res omnes Faeceniae exemplo  
141 translatae et familia arcessita, et Aebutius migrare ad consulis clientem  
142 iussus.

143 Ita cum indices ambo in potestate essent, rem ad senatum Postumius defert,  
144 omnibus ordine expositis, quae delata primo, quae deinde ab se inquisita  
145 forent. Patres pavor ingens cepit, cum publico nomine, ne quid eae  
146 coniurationes coetusque nocturni fraudis occultae aut periculi importarent,  
147 tum privatim suorum cuiusque vicem, ne quis adfinis ei noxae esset. Censuit

148 autem senatus gratias consuli agendas, quod eam rem et cum singulari cura  
149 et sine ullo tumultu inuestigasset. Quaestionem deinde de Bacchanalibus  
150 sacrisque nocturnis extra ordinem consulibus mandant; indicibus Aebutio ac  
151 Faeceniae ne fraudi ea res sit curare et alios indices praemiis inuitare iubent;  
152 sacerdotes eorum sacrorum, seu viri seu feminae essent, non Romae modo  
153 sed per omnia fora et conciliabula conqueriri, ut in consulum potestate essent;  
154 edici praeterea in urbe Roma et per totam Italiam edicta mitti, ne quis, qui  
155 Bacchis initiatus esset, coisse aut conuenisse sacrorum causa velit, neu quid  
156 talis rei divinae fecisse. Ante omnia ut quaestio de iis habeatur, qui coierint  
157 coniurauerintue, quo stuprum flagitiumue inferretur. Haec senatus decreuit.  
158 Consules aedilibus curulibus imperarunt, ut sacerdotes eius sacri omnes  
159 conquirerent, comprehensosque libero conlaui ad quaestionem seruarent;  
160 aediles plebis viderent, ne qua sacra in operto fierent. Triumviris capitalibus  
161 mandatum est, ut vigilias disposerent per urbem seruarentque, ne qui  
162 nocturni coetus fierent, utque ab incendiis caveretur; adiutores triumviris  
163 quinqueviri ulti Tiberim suae quisque regionis aedificiis praeessent.

[The consuls address a public assembly (*contio*) and explain the danger of the Bacchanals and the decrees of the senate.]

164 [17] Recitari deinde senatus consulta iusserunt, indicique praemium  
165 proposuerunt, si quis quem ad se deduxisset nomenue absentis detulisset.  
166 Qui nominatus profugisset, diem certam se finituros, ad quam nisi citatus  
167 respondisset, absens damnaretur. Si quis eorum, qui tum extra terram Italiam  
168 essent, nominaretur, ei laxiorem diem datus, si venire ad causam dicendam  
169 vellet. Edixerunt deinde, ne quis quid fugae causa vendidisse neve emisse  
170 vellet; ne quis reciperet, celaret, ope ulla iuvaret fugientes.

171 Contione dimissa terror magnus urbe tota fuit, nec moenibus se tantum urbis  
172 aut finibus Romanis continuit, sed passim per totam Italiam, litteris  
173 hospitum de senatus consulto et contione et edicto consulum acceptis,  
174 trepidari coeptum est. Multi ea nocte, quae diem insecura est, quo in  
175 contione res palam facta est, custodiis circa portas positis fugientes a  
176 triumviris comprehensi et reducti sunt: multorum delata nomina. Quidam ex  
177 iis viri feminaeque mortem sibi conciuerunt. Coniurasse supra septem milia  
178 virorum ac mulierum dicebantur. Capita autem coniurationis constabat esse  
179 M. Et C. Atinios de plebe Romana et Faliscum L. Opicernium et Minium  
180 Cerrinium Campanum: ab his omnia facinora et flagitia orta, eos maximos  
181 sacerdotes conditoresque eius sacri esse. Data opera, ut primo quoque  
182 tempore comprehendenderentur. Adducti ad consules fassique de se nullam  
183 moram indicio fecerunt.

184 [18] Ceterum tanta fuga ex urbe facta erat, ut, quia multis actiones et res  
185 peribant, cogerentur praetores T. Maenius et M. Licinius per senatum res in  
186 diem tricesimum differre, donec quaestiones a consulibus perficerentur.  
187 Eadem solitudo, quia Romae non respondebant nec inueniebantur, quorum  
188 nomina delata erant, coegit consules circa fora proficiisci ibique quaerere et  
189 iudicia exercere. Qui tantum initiati erant et ex carmine sacro, praeeunte  
190 verba sacerdote, precatio[n]es fecerant, [in] quibus nefanda coniuratio in omne  
191 facinus ac libidinem continebatur, nec earum rerum ullam, in quas  
192 iureiurando obligati erant, in se aut alios admiserant, eos in vinculis  
193 relinquebant: qui stupris aut caedibus violati erant, qui falsis testimoniis,  
194 signis adulterinis, subiectione testamentorum, fraudibus aliis contaminati,  
195 eos capitali poena adficiebant. Plures necati quam in vincula coniecti sunt.  
196 Magna uis in utraque causa virorum mulierumque fuit. Mulieres damnatas

197 cognatis, aut in quorum manu essent, tradebant, ut ipsi in privato  
198 animaduerterent in eas: si nemo erat idoneus supplicii exactor, in publico  
199 animaduertebatur. Datum deinde consulibus negotium est, ut omnia  
200 Bacchanalia Romae primum, deinde per totam Italiam diruerent, extra quam  
201 si qua ibi vetusta ara aut signum consecratum esset. In reliquum deinde  
202 senatus consulto cautum est, ne qua Bacchanalia Romae neue in Italia  
203 essent. Si quis tale sacrum sollempne et necessarium duceret, nec sine  
204 religione et piaculo se id omittere posse, apud praetorem urbanum  
205 profiteretur, praetor senatum consuleret. Si ei permisum esset, cum in  
206 senatu centum non minus essent, ita id sacrum faceret, dum ne plus quinque  
207 sacrificio interessent, neu qua pecunia communis neu quis magister  
208 sacrorum aut sacerdos esset.

209 [19] Aliud deinde huic coniunctum referente Q. Marcio consule senatus  
210 consultum factum est, ut de iis, quos pro indicibus consules habuissent,  
211 integra res ad senatum referretur, cum Sp. Postumius quaestionibus perfectis  
212 Romam redisset. Minium Cerrinium Campanum Ardeam in vincula  
213 mittendum censuerunt, magistratibusque Ardeatium praedicendum, ut  
214 intentiore eum custodia adseruarent, non solum ne effugeret, sed ne mortis  
215 consciscendae locum haberet. Sp. Postumius aliquanto post Romam venit:  
216 eo referente de P. Aebutii et Hispalae Faeceniae praemio, quod eorum opera  
217 indicata Bacchanalia essent, senatus consultum factum est, uti singulis his  
218 centena milia aeris quaestores urbani ex aerario darent; utique consul cum  
219 tribunis plebis ageret, ut ad plebem primo quoque tempore ferrent, ut P.  
220 Aebutio emerita stipendia essent, ne inuitus militaret neue censor ei inuito  
221 equum publicum adsignaret; utique Faeceniae Hispalae datio, deminutio,  
gentis enuptio, tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset;

223 utique ei ingenuo nubere liceret, neu quid ei qui eam duxisset ob id fraudi  
224 ignominiaeue esset; utique consules praetoresque, qui nunc essent quiue  
225 postea futuri essent, curarent, ne quid ei mulieri iniuriae fieret, utique tuto  
226 esset. Id senatum velle et aequum censere, ut ita fieret. Ea omnia lata ad  
227 plebem factaque sunt ex senatus consulto; [et] de ceterorum indicum  
228 impunitate praemiisque consulibus permissum est.